



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

2. Quæstionis nostrorum de nomine negatiua decisio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

arbitrentur. Probat Vazquez, quia ea de penitentia absoluta obiectiva: & intentionalis futuritionis conditionata consensus, vel negationis eius sub auxiliis, qua eorum efficacia, vel inefficacia constituitur, casu quo absolute prædestinatione, aut reprobatione efficax prædestinato, inefficax reprobo à Deo conferatur, est dependentia materia obiectiva solius, siue de qua, vel circa quam deliberandum Deo non autem rationis, & moriui, ut vni efficax cognitum, alteri vero inefficax Deus tribuat. Dependentia autem materia obiectiva, necessitate ad reprobationem, vel prædestinationem sola non est causa deliberationis alterutris determinata à Deo habenda: ergo ratione illius nec reprobus reprobationis sue, nec prædestinatus prædestinationis sue adequatè absolute, nedum comparative ad alium non reprobum, vel non prædestinatum causa esse dicere potest. Minor probatur, nam cetera patent.

5. Siquidem etsi materia de qua, & circa quam deliberandum est aptitudo ad potentiam absolutam deliberandi supponatur, non autem est causa, cur de ipsa, vel circa ipsam hæc potius quam aduersa deliberatio à Deo habeatur. Idcirco rerum (atque ad rem præsentem auxiliorum) possibilitas, & possibilitas etiam, imo, ut diximus, factus actualis existentia, tam prædestinati, quam reprobi alterutri erga ipsos providentia nec solum efficacia, aut inefficacia auxiliorum, & necessitas ut materia obiectiva, qua, & circa quam deliberandum est, ut alterutro modo Deus provideat, requiritur, tamen, quia id solum habet, non autem rationem, aut motum, ut Deus alterutro modo provideat, nec auxiliorum possibilitas, nec reprobi, aut prædestinati possibilitas, aut existentia, ut reproberetur reprobus, ac prædestinaretur prædestinatus causa esse dicitur: confirmatur, quia tam Patres, quam scholastici, quam Hæretici cū quibus de causa prædestinationis, & reprobationis disputabant, ad meritum, ipsorum ut reproberentur, vel prædestinarentur impugnanda quidem Patres, & scholastici designanda vero Hæretici recurrunt ut vidimus, tamen materiam cum obiectivam, tum subiectivam multiplicem à nobis designatam recognoscere: confirmatur ex sap. 1. 7. 11. 12. 4. 5. 9. Hierem. 18. 6. atq; ad Roman. 9. ubi naturalem rationem minoris nostre exemplo Luteci massæ ac figuli ita explicatur, & proponitur. *Nunquid dicit figmentum cuius se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* in quibus quæcumque respectu deliberationis ab artifice ad hanc, vel illam formam inducendam, ut materia ex qua seu circa quam, vel obiectiva, vel subiectiva solummodo se habent, etsi ad alterutram deliberationem materia necessaria sint à causatione alterutris deliberationis docetur, atque illustrissimo exemplo monstratur.

6. Generalis nostræ conclusionis exceptionem subtiliter excogitavit noster Molina supra ex Alenſe, Bonaventura Henrico Gandavense, quæ placuit postmodum magno meo magistro Didaco Daza, & nostro etiam Grana. Consent enim in reprobis adultis, qui rite suscepto baptismo originale deposuerunt: reprobationis sue cum absolute tum præ aliis causam specialem reperiit: siquidem auxilio sufficienti de se, ut præceptum servare, ac non peccare absolute possent, reddereque illud efficax, abique auxilii ab usu, & voluntatis sue vicio, & transgressionem voluntaria, qua illud inefficax reddidere reprobi absolute nequeuntur, & sue reprobationis causæ sunt. Verum non video quid amplius roboris argumentum hoc habeat in reprobis adultis semel iustificatis ac post modum peccantibus, quam in aliis adultis, qui nunquam iustificati actualiter etiam deliquerunt: cum in utroque auxiliorum sub quibus peccaverunt inefficax à negatione voluntaria, & libera consensus in bonum absolute pendat: ac subinde à materia obiectiva necessaria ut reprobi à Deo absolute possint. Hanc autem materiam obiectivam necessariam ad reprobationem dependentiam intentionalem à consensu absoluto libero reprobi non sufficere ut causa reprobationis sue absolute reprobus sit, ac dicatur proxime ostendimus: sicuti similis dependentia efficacie auxiliorum, qua materia obiectiva necessaria ad prædestinationem constituitur, à libero consensu absoluto prædestinati, ut ipse prædestinationis sue adequatè sumptæ causa sit ac dicatur minime suffi-

cic quare limitationis, & differentie huius nulla tanti Doctoribus ratio afferatur.

CERTAMEN III.

In questione de re Hæreticorum & Catholicorum aliquot Doctorum placita, & que Catholicis certa esse debent.

Occurrit primo Pelagianorum hæresis asserentium reprobationis adequatæ, & secundum omnem sui partem tam primæ, quam vltiorum omnium, denegationis auxilii gratiæ efficacie supernaturalis, cum absolute, tum comparative ad alium non reprobum, seu prædestinatum sumptæ causam ex parte reprobi dari, sicuti, & ex parte prædestinati prædestinationis sue adequatæ etiam, eodemque modo sumptæ causam dari allerebant: quia nimirum ex naturalibus puris, seu iure naturæ arbitrio utriusque debitis alter bono illorum usu meritum aliquod, & motuum naturæ antæius, ut supernaturalis efficacie gratia donaretur per occasiones singulas Deo offerebat; alter vero contra malo naturalium eorum usu per singulas omnes occasiones, ut efficacie supernaturali gratia priuaretur, offerebat Deo meritum naturæ antæius, & motuum. Damnatæ ea hæresis fuit conciliis omnibus aſſeſſicis ab Auguſtini tempore, ac reliquis conciliis Catholicis, & œcumenicis huc vsq; in Ecclesia habitis, quorum verba in re notissima proferre otiosum esset, & inutile. Maxime, cum eius damnationis fundamenta ex scriptura æque sint vulgata, & expressa ad Rom. 9. *Cuius vult, miseretur, & quem vult indurat.* Quod Iacobi, & Esau prædestinati, ac reprobi Typorum, quorum antiquam quidquam boni egissent, aut mali alterum Deus dilexit, alterum vero odio habuit statim confirmat. Rationem vero exemplo figuli ex eadem omnino massa aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam pro mero arbitratu suo citra ipsorum iniuriam effingentis monstratum vel oculis ipsis percipiendam proponit quibus testimonis Patres hæresi Pelagiana vetustiores eam anticipato iugularunt, ut mirum fuerit alienius vel ignorantia, vel dementia conceptam nedum subortam postea fuisse. Augustinus vero huic hæresi in primis confutandæ natus, à Deoque Ecclesiæ sue datus non vno solum, sed pluribus totis libris editis Pelagianos confutavit. Nempe contra duas epistolas Pelagianorum, de prædestinato. Sanctior de bono persever. De corrept. & gra. Et reliquis scriptis suis passim Et præter proxime ex Paulo memorata, & illam Pauli etiam rationem: quod si ex operibus naturæ gratia à Deo donaretur, iam gratia non esset gratia, aliam ex infantibus præmaturæ, & ante usum rationis, altero baptizato ac subinde prædestinato, altero, im baptizato, ac reprobo correptio rationem instruit, qua Pelagianos ad silentium vsque confutavit.

2. Massilienses Pelagiani erroris, quem cum Catholicis cunctis Doctoribus exetabantur, cineres exuffantes alterius erroris affinis scintillam inveniunt, ut inde merito Pelagianorum reliquæ habiti merito fuerint, atque infame Semipelagianorum nomen fuerint promeriti. Aiebant enim primæ gratiæ efficacie supernaturalis denegationem vnde incipit reprobatio, malo vsui pure naturalium virium arbitrii ex quibus bonus vsus esse posset in reprobis debere sicuti, & primæ gratiæ efficacie supernaturalis vnde prædestinatio inchoatur, bono vsui naturalium virium debetur in prædestinatis, non autem per occasiones singulas reliquas gratiæ efficacie siue denegationes reprobi, siue donationes vltiores prædestinati bonum, malumve usum virium pure naturalium, ut Pelagiani aiebant, præcedere: ut scilicet prædestinationis, reprobationisque initium solummodo naturæ solum merito, demeritoque vniuscuiusque prædestinati, vel reprobi debeatur: vnde prædestinationis, atque ad rem præsentem reprobationis